


Hermann Becker

**Rectore Academiæ Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino  
Friderico, Duce Ac Principe Hereditario Mecklenbvrnico ... Ad Festos Dies  
Qvadragesimales Pie Colendos Admonitvrvs De leivniis Protestantivm Legalibvs  
Pavcis**

Rostochii: Typis I. I. Adleri, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876599420>

Druck Freier  Zugang






J. 512.

1753 Fasten

~~M. 1256.~~<sup>320.</sup>

6.1753

RECTORE  
ACADEMIÆ  
MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE AC PRINCIPE  
HEREDITARIO MECKLENBURGICO,  
PRINCIPE VETVSTÆ GENTIS HENETAE,  
SVERINI AC RACEBURG  
COMITE ITEM SVERINENSI,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDI  
DOMINO,  
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO



AD  
FESTOS DIES QUADRAGESIMALES  
PIE COLENDOS  
ADMONITVRVS

DE  
**IEIUNIIS**  
PROTESTANTIVM LEGALIBVS  
PAVCIS DISSERIT

HERMANNVS BECKER,  
LL. DOCT. ET INSTIT. P. P. O.  
ACADEMIÆ P. T. PRO-RECTOR.

ROSTOCHII,  
TYPIS I. I. ADLERI, SEREN. DVCIS AVL. & ACAD. TYPOGR.

M. 1256 320

\* \* \* \* \*

\* \* \* \* \*

**D**e themate in elaborando pro officii ratione program-  
mate feriarum quadragesimalium meditati in manus  
incidit Celeberrimi Böhmeri, Antecessoris quondam  
Hallensis Famigeratissimi, ac omnibus, qui aut theolo-  
giae aut iurisprudentiae sacris nomen dicant acceptatissimi, Ius  
Ecclesiasticum Protestantium, opus maxime laude dignum, in  
cuius Tom. 3. Lib. 3. tit. 46. materiam de observatione ieiunio-  
rum pertractans, et de ecclesia protestantium iudicium suum  
proferens, §. 41. sequenti modo differit: „Ad haec vero, quae di-  
recto per leges, seu vim coactivam imperari non possunt, meo iudicio re-  
ferri debent serua singulorum poenitentia, deuotio, et abstinentia ab omni-  
bus cibis usque ad certam determinatam horam. Haec enim eius indo-  
lis sunt, ut nihil proficiant, nisi ex spiritu spontaneo, et corde contrito  
proficiantur, atque conscientia prorsus libera fiant, quae imperium nul-  
lum admittit. Haec fuit constans primitivae ecclesiae confessio, et pra-  
xis, ut supra ostensum est. In hoc peccasse Montanistas, iidem obser-  
uauit: id denique est, quod ecclesiae Romanae vitio vertimus, legalia ie-  
iunia imperio coactiuo adornanti. Equidem etiam in edictis & consti-  
tutionibus principum abstinentia ab omnibus cibis imperari solet, ceu fa-  
ctum est in Ord. Guelpberbyt. (vbi ipsissima verba in sequentibus  
recensentur) Haec quidem, uti dixi, edictis principum inseri solent,  
magis tamen, ut subditi sedulo admoneantur ad ieiunia cum debita deuo-  
tione seruanda, quam ut poenis propositis ad haec sacra cogantur, quo  
ipso fit, ut haec pars legis publicae magis imperfecta dicenda sit. Qua  
de causa, si quis deprehensus fuerit ieiunium violasse, cibosque sumfisse,  
poenali iudicio contra eum procedi non posse existimarem, nisi forsitan  
ex indiciis manifestis de contemptu constaret, veluti si quis temerarie di-  
xisset, er wolle dennoch zum Troz des Fürstlichen Verboths es-  
sen und trincken, quo casu publicus contemptus merito plectendus fo-  
ret.“ Verae quidem, piae, solidae, doctae, ac analogiae iuris-  
prudentiae conformes sunt, libens lubensque confiteor, hae Viri  
Celeberrimi, et longe supra meas laudes positi, meditationes in  
se consideratae. Sed quod an etiam satis iam sint determina-  
tae, ac limitatae, dubitantem me reddunt et ipsa Celeberr. au-  
toris verba in tit. adl. passim obuia, et finis edictorum prote-  
stan-

stantium legislatorum ieiunia praescribentium, et praxis denique ecclesiastica in adplicatione ad casus determinatos sese exferens. Verum quidem manet, immo tam notum est quam quod notissimum, ea, quae nisi ex libera procedant voluntate, et spiritu spontaneo, grata non manent ac acceptata, ea inquam, quae ex propria animi determinatione sola sunt proficua, nullam in se admittere coactionem, ergo nec imperium, nec legem efficacem. Et quis v. c. veram ac seriam pietatem ac devotionem erga patrem tribueret filio, qui non nisi virgis et baculis coactus voluntati patris, renitente licet mente, obtemperat. Sed ex ipsa tamen Viri Celeberrimi sententia ieiunia non solum instituuntur ob sanitatem, instantem commestationem, tristitiam, poenitentiam, domandam carnem, et poenae ac coercitionis gratia; verum quoque deuotionis promouendae causa atque ex voto, ceu sicuti ipsissima verba l. c. §. 4. sonant: „*Quod (ieiunium scil.) instituitur deuotionis causa, ut mens, et animus eo magis ad illam prae- parentur, ob arduum quoddam, quod suscipiendum negotium sacrum, quale erat ieiunium passim ab apostolis deliberato consilio susceptum, sponte tamen, et citra legem, aut imperium, quod deuotio excludit. Tale quoque est, quod ex voto certis diebus institui solet, non ut cultus, quidam Deo hoc ipso exhibeatur, sed ut hoc medio ieiunans se magis ad internam mentis deuotionem componat, adplicetque, quae pleno ventre torpescit.*“ Aut fallor itaque egregie, aut ex ante adductis pronosequitur alueo, ieiunia esse actiones ecclesiasticas externas spontaneas et voluntarias, quae tanquam remedia externa verum Dei cultum internum promouendi, vitam probam excitandi, et impedimenta incorruptae religionis tollendi, pro re nata considerari possunt, quorum iura et obligationes semper pro differentia finis, propter quem adhibentur, variare debent. Iam autem, licet actiones non voluntariae, et res intellectus, quo etiam et religio, pietas cordis, et internus Dei cultus referri debent, legi non subsint, omnes tamen e contrario omnino actiones arbitrariae et spontaneae, tam profanae, quam ecclesiasticae, sub lege continentur. Ex quo etiam fundamento, ius circa sacra, in instrument. pac. Osnabrugg. statibus imperii Augustanae Confessionis solitarie et independenter adsertum, ex ipsis Celeberr. Böhmeri principiis, principi ut principi, recte vindicat. Schaumburg. in comp. D. lib. I. tit. I. §. 13. Sunt itaque  
iei-

ieiunia et in ecclesia protestantium sub lege, quam legem, quia non a sola potestate ecclesiastica, sed imperio quoque maiestatico principis dependet, vix semper imperfectam dicere conor, sed potius et perfectam, et in foro quoque externo plane obligatoriam certo in respectu, certaue sub limitatione admitto. Binis itaque, et aduersa licet propter varia impedimenta Minerua, periculum faciam, et exponam meditationes meas, quatenus ieiunia in ecclesiis protestantium obuia, tanquam legalia, et perfecte obligatoria, considerari possint. De origine ieiuniorum; de qualitate et ritibus eorum, tam in ecclesia iudaica, quam primitiuorum christianorum; de controuersia Montanistarum cum orthodoxis, obligationem eorum tangente; de modo ac ratione, qua adhuc hodie obtinent in ecclesia pontificiorum; de differentia inter ieiunos, ieiunantes, et abstinentes; de diuisione denique eorum in necessaria et voluntaria, in publica et priuata, in communia et singularia, verba h. l. facere haut opus iudico. Satis haec omnia iam exposita deprehenduntur in l. adl, Böhmeri. Hoc vnicum solummodo hic adlegare volo, differentiam nempe inter abstinentes & ieiunantes in ecclesia protestantium haut occurrere, et nullae dantur in ea abstinentiae a ieiuniis separatae atque diuersae, quatenus ieiunia respicimus publica, sed potius connexum semper sunt ieiuniorum. In quaestione itaque quidnam protestantibus sub ieiuniorum denominatione veniat, haut errorem in respondendo committere opinor, quando ea abstinentiam voco a cibis et aliis actionibus per se licitis, delectationibusque alias permissis, iusta ex causa ab iis susceptam, quibus nullum physicum impedimentum obstat. Testantur ac corroborant hunc conceptum varia exempla ieiunantium, tam ex publicae legis, quam ex priuati voti dispositione. Quo minus autem per physicas rationes impediti a cibis abstinentes huc referri possint, et quod quidem ieiuni, non autem ieiunantes vocari mereantur, per se patet. Abstinentiam vero ab aliis actionibus per se licitis cum abstinentia a cibis concurrentem docent exempla musicae instrumentalis, et nuptiarum prohibitarum, commerciorum publicorum interdicatorum, iustitii publici praescripti, aliaque eius generis publicis in ieiuniis obuia, et corroborant variae devotionis species, quas sibi praescribere solent, qui per votum ieiunia suscipiunt voluntaria, iustam porro et legitimam

in

in illis requiro causam, ne in crimen et peccatum degeneret eiusmodi susceptio, qualis ieiunii nomen minime meretur abominanda voluntas. Iam quidem verum est, omnia meritoria negotia, quae remissionem peccatorum ex mente pontificiorum producunt, et quorsum quoque a clericis imperata ieiunia referenda manent. quadragesimale, antepaschale, quatuor temporum, pentecostale, rogationum, et quae forsitan sint plura, in ecclesiis protestantium simpliciter cessare. Docent hoc expressa verba Augusti, Conf. tit. vom Unterscheid derer Speisen. Sed potest tamen princeps & legislator, pro utilitate, necessitate ac salute publica actiones hactenus licitas sub lege comprehendere prohibitiua, et violatorem eius, quatenus actiones contrariae non sunt necessariae, quae legem respuunt, ad poenam trahere publicam in lege sancitam. Potest haec poena, licet forsitan mitigata et extraordinaria, non illis solum infligi, qui ex contemptu agunt, et ex proaer si, apertaque malitia in legem impingunt prohibitiuam, sed illis quoque, qui negligentiam adhibent in actionum directione, pro modo culpa, qua sese commaculant, et pro diuersitate gradus, quo ratio legis a legislatore intenta per eiusmodi actiones tollitur aut impeditur. Non in actionibus, si ita dicere liceat, ciuilibus ac secularibus solummodo hoc obtinet, sed quoque ecclesiasticis, per quas h. l. intelligo eas, quae ad cultum diuinum externum celebrandum adhibentur. Sunt enim, sicuti supra iam expositum, eodem modo sub lege, sicuti profanae, et boni principis est, vt curam adhibeat indefessam promouendi verum ac infucatum internum cultum diuinum per determinationem actionum externarum, omniaque externa eius impedimenta remouendi. Kahle in element. iur. canon. pontif. ecclesiast. diss. prael. sect. 1. §. 3. & 10. Hinc iusta et optima ex ratione principes protestantes ieiunia, meritoria eoque in sensu legalia reiicientes, tamen non quidem deuotionis instillandae, sed potius impedimentorum auferendorum causa adhibent, retinent, et in edictis suis determinant. Pertsch in element. iur. canon. et protest. eccles. lib. 2. §. 796. add. Spener. tom. 2. consil. theol. Germ. cap. 3. art. 4. sect. 26. pag. 472. Adsunt in ecclesia protestantium eiusmodi ieiuniorum publicorum legalium varia exempla, et stata et repentina, praecipue in diebus supplicationum. Quatenus itaque facta eiusmodi publica prohi-

hibitione poenali subditus nihilominus actiones suscipit prohibitas non necessarias, eatenus et poenae subiicitur externae, idque merito. Actiones inquam non necessarias, quae enim necessitate cogente fiunt, v. c. ad conseruandam sanitatem periclitantem, legi numquam subiiciuntur. Actiones autem non necessarias suscipiens, finem ac intentionem legislatoris aut impediens, aut plane submoventes, in legem utique impingit poenalem, et ad poenae vocari potest iudicium. Sicuti itaque violationem iustitiae publicae, in eiusmodi legalibus ieiuniis indicti; sicuti exercitium commerciorum, ac commessationum contra factam prohibitionem; sicuti celebrationem nuptiarum, et musicae instrumentalis, hisce diebus interdictam, ad legem merito trahimus perfectam, et quando deficit dispensatio poenis subiciimus publicis, ita me nondum satis perspicere, libens lubensque profiteor, quare nec idem illud in abstinentia a cibis, singulis subditis ad certam vsque ac determinatam horam iniuncta, obtinere possit, et debeat. Obiectio Celeberr. Böhmeri, si quid in me iudicium, me minime tangit, quod haec scilicet abstinentia eius sit indolis, ut nihil proficiat, nisi ex spiritu spontaneo, et corde contrito proficiatur, ac conscientia prorsus libera fiat, quae nullum admittit imperium. Nam nec fuga omnis hilaritatis, nuptiarum, commessationum, aliquid proficit, nisi sponte fiat, et tamen eam admittit sub lege perfecta prohibitam. Nec legislatores protestantium ad instillandam deuotionem, et tanquam actum interni cultus iniungunt abstinentiam, sed ad tollenda duntaxat impedimenta externa, et praescindendas remoras pietatis, cuius in respectu utique obtinet imperium. Nec refutationem meae sententiae sufficientem mihi porrigit ratio diuersitatis ab aliis adducta, quod celebratio nuptiarum, commessationum publicarum, instrumentalis musicae, saltationum, et quae plura sunt huius generis, ad aliorum perueniat notitiam, et publicum producat scandalum, quod tamen in abstinentia a cibis neglecta cesset. Ponamus enim pransores non commessantes in diuersoriis publicis; ponamus cibos per plateas pransoribus priuatis missos; ponamus conuiuia priuata in aedibus priuatis instituta, et deprehendimus semper identitatem rationis. Ut taceam impeditos per praeparationem ciborum et prandii famulos, quo minus cultui diuino interesse possint. Concedo itaque qui

quidem, non semper poenali iudicio contra eum procedi, et procedi posse, qui priuatim ieiunium violat, et cibos sumit tempore ieiuniorum legalium: concedo non numquam lege solum imperfecta eiusmodi abstinentiam singulorum in edictis praescribi. Sed nego vniuersalitem huius sententiae, et contendo poenales quoque sanctiones in eiusmodi edictis generaliter determinatas, ad singulorum quoque abstinentiam a cibis ad determinatam vsque horam extendi posse, absque violatione libertatis conscientiae, et hinc nonnumquam poenali quoque iudicio contra eum procedi posse, qui ieiunium sumptione ciborum violat, non in illo solo casu, quando ex iudiciis manifestus de contemptu constat, sed in aliis quoque casibus. Ponamus modo exemplum subditi tempore interdicto, non in contemptum edicti, sed alia ex ratione, in aedibus priuatis conuiuium instituentis priuatum, et quam ex ratione non iudicio poenali puniendus maneat? Ponamus ebrietate obreptum hoc tempore crimen committere publicum, et non perspicio rationem, quare non durior et exasperata ex hoc fundamento obtinere possit poena. Sic alia innumera possunt existere exempla, quae vtique iudicium prouocant poenale. Minime tamen negare cupio, rariores esse casus iudicii poenalis. Exinde tamen ad non usum non valet consequentia. Mox enim deficiens magistratus scientia, mox laxata saeculi disciplina, mox consuetudo licet iniusta, et contra voluntatem legislatoris irrepens, mox aliae multifariae rationes hoc impediunt, quae tamen legislatoris rigorosam in reitentes animaduersionem haut tollunt.

Sufficiant pro praesenti vice hac de materia meditationes, quibus et penuria temporis, et spatium plagularum fines imponunt, quorumque censuram aliorum puriori iudicio eo lubentius committo, quia ipse eas non satis elaboratas iudico.


Ad princeps potius negotium harum plagellarum sese conuertit mea oratio. Recurrit C. A. H. festum anniuersarium quadragesimale piis meditationibus sacris immensam gratiam diuinam, et passionis nostri saluatoris memoriam celebrans. Praeparandi ex institutis ecclesiae maxime laudandis sunt animi fidelium per preces et sacras meditationes ad recolendam memoriam mortis domini, qui seruis maximarum et immortalium poenarum dignis futuram restaurauit vitam, et recordanda ac pia mente deuenienda fando non comprehendenda merita clementissimi nostri saluatoris, qui Dominus ac Deus ad saluandum genus mortalium maxime degener vitam pro seruis dedit, et sanguineum sudorem, ante mortem, immo mortem crucis perpeffam, fudit, ne frigidissimus in mortis agone sudor nos opprimeret; luctari voluit cum morte, ne in agone mortis deficeremus; anxietatem grauissimam et tristitiam vsque ad mortem sustinere haut detrectauit, vt aeterna laetitia in coelis participes redderemur. Tempus recurrit veneranda pietate celebrandum quo immensus summi numinis amor ad placandam iram diuinam iustissimis

finis ex causis contra homines ingratiſſimos et creaturas propter inex-  
 plicabilem erga creatorem ingratiſſimam damnandam, excitatam, ne fi-  
 lio ſuo pepercit vnigenito, in ſignum certiffimum, ſe propter hoc moe-  
 ſtiſſimum noſtri redemptoris ſupplicium onus peccatorum inextricabile  
 omnibus remiſſurum eſſe, qui modo fide ſaluifica amplectantur cornua  
 altaris huius immaculati, et irreprehenſibilis ſacrificii: Ceſſat quidem ieiuni-  
 um, illud meritorium papale, quo hiſce temporibus contra libertatem chriſti-  
 anorum in eccleſia pontificiorum membris eius iniuſtum imponitur iugum.  
 Sed non ceſſat vere chriſtianorum officium debita deuotione celebrandi hoc  
 tempus anniuerſarium, ad recolendum et venerandum hocce immenſae  
 gratiae diuinae ſignum. Manet ac p̄ manet obligatio omnium fidelium  
 ad remouenda impedimenta. quae huic deuotioni, quae huic pietatis  
 debito remoras obſistere queunt. Exigit ratio officii pro hac vice mihi  
 demandati publicam excitationem ad pie celebrandum hocce feſtum an-  
 niuerſarium, et me optime ſunctorum ſpero ſparta mihi demandata,  
 quando adduco verba Gerhardi in medit. ſacr. 2. „Deus moritur, Deus  
 patitur, Deus ſanguinem fundit. Ex pretii magnitudine periculi aeſtima quan-  
 titatem: ex remedii pretio mortis aeſtima periculum. Magna omnino vul-  
 nera, quae non niſi vulneribus viuifica, et viuificantis carnis potuerunt ſanari.  
 Magnus certe morbus, qui non niſi morte medici curare potuit. Et claudio  
 ſermonem meditationibus euſdem auctoris in part. 2. exercit. pietat.  
 cap. 3. „O hominum amator, cuius delitiae cum filiis hominum, quis hanc  
 philanthropiam dignis efferre praeconiis; immo quis eam mente ſatis digne  
 complecti poteſt? Hae ſunt incomprehenſibiles bonitatis tuae diuitiae: hic eſt  
 immenſus bonorum morum theſaurus, quem noſtra non capit tenuitas, aut  
 intelligentia. Adeone ſeruus carus erat, vt filius pro ipſius redemptione in  
 mortem fuerit tradendus? Adeone inimicus erat diligendus, vt dilectiſſimum  
 filium ipſi redemptorem conſtitueres? Obſtupescit anima mea beneficii ipſius con-  
 ſideratione, atque in tui amorem penitus abit, et colliqueſcit. Tibi autem,  
 „Dulciſſime Ieſu, redemptor ac mediator vnice, propter hunc amorem  
 „uum psallamus in ſaeculum.

P. P. ſub ſigillo academico ipſa feria Quinquageſima,  
 A. O. R. MDCCLIII.







quidem, non semper poenali iudicio contra eum procedi, et p  
cedi posse, qui priuatim ieiunium violat, et cibos sumit temp  
ieiuniorum legalium: concedo non numquam lege solum imp  
fecta eiusmodi abstinentiam singulorum in edictis praescri  
Sed nego vniuersalitatem huius sententiae, et contendo poe  
les quoque sanctiones in eiusmodi edictis generaliter determi  
natas, ad singulorum quoque abstinentiam a cibis ad determinatam  
que horam extendi posse, absque violatione libertatis conscientiae, et h  
nonnumquam poenali quoque iudicio contra eum procedi posse, qui  
iunium sumptione ciborum violat, non in illo solo casu, quando ex  
diciis manifestis de contemptu constat, sed in aliis quoque casibus.  
namus modo exemplum subditi tempore interdicto, non in contem  
edicti, sed alia ex ratione, in aedibus priuatis conuiuium instituentis  
uatum, et quam ex ratione non iudicio poenali puniendus mane  
Ponamus ebrietate obreptum hoc tempore crimen committere publicu  
et non perspicio rationem, quare non durior et exasperata ex hoc fi  
damento obtinere possit poena. Sic alia innumera possunt existere  
empla, quae vtique iudicium prouocant poenale. Minime tamen  
gare cupio, rariores esse casus iudicii poenalis. Exinde tamen ad r  
vsum non valet consequentia. Mox enim deficiens magistratus scien  
mox laxata saeculi disciplina, mox consuetudo licet iniusta, et contra  
luntatem legislatoris irrepens, mox aliae multifariae rationes hoc i  
pediunt, quae tamen legislatoris rigorosam in renitentes animaduerti  
nem haut tollunt.

Sufficiant pro praesenti vice hac de materia meditationes, quib  
et penuria temporis, et spatium plagularum fines imponunt, quoru  
que censuram aliorum puriori iudicio eo lubentius committo, quia i  
eas non satis elaboratas iudico.

Ad princeps potius negotium harum plagellarum sese conuertit n  
oratio. Recurrit C. A. H. festum anniuersarium quadragesimale p  
meditationibus sacris immensam gratiam diuinam, et passionis nostri  
uatoris memoriam celebrans. Praeparandi ex institutis ecclesiae m  
xime laudandis sunt animi fidelium per preces et sacras meditationes  
recolendam memoriam mortis domini, qui seruis maximarum et i  
mortalium poenarum dignis futuram restaurauit vitam, et recordan  
ac pia mente deuenienda fando non comprehendenda merita cleme  
tissimi nostri saluatoris, qui Dominus ac Deus ad saluandum genus i  
mortalium maxime degener vitam pro seruis dedit, et sanguineum  
dorem, ante mortem, immo mortem crucis perpessam, fudit, ne frigi  
dissimus in mortis agone sudor nos opprimeret; luctari voluit cum mo  
te, ne in agone mortis deficeremus; anxietatem grauissimam et tristitia  
vsque ad mortem sustinere haut detrectauit, vt aeterna laetitia in coe  
participes redderemur. Tempus recurrit veneranda pietate celebrandu  
quo immensus summi numinis amor ad placandam iram diuinam iust

